



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XII. Ioannis Papae VIII. Ad Imperatorem Et Imperatricem. Pro
Madelgero qui Odelricum occiderat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IMPERATOREM ET IMPERATRICEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

Ioannes episcopus ad imperatorem & imperatricem.

DVM non minus pro misericordia intuitu delinquentibus exhibendo, quam iudicij severitate in improbos exercenda, omnipotens Deus gloriam serenitatis vestræ imperiali voluerit sublimare decore, dignum profecto esse rati sumus pastorali cura fungentes apud maiestatis vestræ excellentiam pro multorum salute, vel vita indulgentia, & præcipue illorum, qui diabolico licet instinctu nefanda committentes, ad apostolorum principum Petri & Pauli fautorum vestrorum limina, diuina tamen pietate commoti, venire festinant, & misericordiam humili prece implorant, toto mentis annisu intercedere, atque pro viribus consolationis opem in quantum fas est potentibus impartiri clementer. Vnde pro huius viri, Madelgeri videlicet nomine, qui aduersario incitante quemdam hominem Odelricum vocabulo peremit, salute, membrorum omnium integritate, & rerum suarum restitutione, maiestati vestræ fuggesimus, filiorum carissime, & pro amore Dei & Domini nostri Iesu Christi, sanctorumque apostolorum, quorum limina præfatus Madelgerus adiit, nostræque paternitatis, quam sincerissimam erga nos habetis, dilectione precamur, quatenus gratiam vestram plenariam ei reddere non dedignemini: eaque cum vestræ serenitatis respectu accepta, pro suis valeat excessibus poenitentiam fructuosam accipere, qua commissi possit piaculi noxias fordes abluere, ut spiritus saluus sit in die Domini de omnibus vlticem dantis vindictam. Nam pro tanti itineris labore durissimo, quem veniendo perfensus est, sicut credimus, aliquantulam de peracto scelere indulgentiam meruit, eius vtique intercessionibus adiutus, cui dictum a Domino constat: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod cum ita sit, precamur etiam, ut eum cum parentibus

Matth. 16.

tibus

tibus eius qui defunctus est , paciscere iubeatis , ne maius deinceps malum , quo multorum animæ noceat , perpetretur . Data ut supra .

E P I S T O L A XIII.

I O A N N I S P A P Æ VIII.

A D B I T V R I C E N S E S.

Vt Frotario Burdigalensi archiepiscopo , cui tamdiu Bituricensem ecclesiam committit , quamdiu pagani Burdigalensem diœcesim obtineant , omnes obedient .

Joannes episcopus clero , plebi & ordini sanctæ Bituricensis ecclesiæ .

SVGGESTIONIS vestræ relegentes epistolam , quod ab apostolatus nostri auctoritate de fratre nostro Frotario reuerendo archiepiscopo postulant , hoc nos a liorum testificationibus , & præcipue serenissimi semper Augusti , spiritalis quoque filii nostri relatione comprimus ; sed & legatis apostolicæ sedis , Leone videlicet venerabili episcopo , apocrisiario & missō sanctæ Romanae ecclesiæ , seu Petro æque venerabili episcopo , reuerentibus , didicimus pene totam prouinciam Burdigalensi metropoli pertinentem , sicut ab his qui causam illam nauerunt , idem nostri legati discere potuerunt , ita esse paganorum persecutionibus desolatam , vt non solum ipse confrater noster illic lucri aliquid subiectis conferre non posset , verum etiam habitatio fidelium inde subtracta constat . Quapropter quia eumdem virum Frotarium reuerendum archiepiscopum probis moribus actibusque præclaris , & ad lucrum animabus hominum conferendum idoneum esse comperimus , ne talis tantusque vir otio , quo prodesse aliis valeat , minime vacet ; eiusdem sanctæ Bituricensis ecclesiæ , cui subestis , ei pastoralem curam apostolica auctoritate committimus , & in ipsa eum in cardinandum necessario esse censemus . Cui vos ita decentem obedientiam & canonicam subiectionem humiliter exhibete , vtpote re vera metropolitani iura tenenti , proprio rectori , & vestro antistiti conuenit , & ex nostra apostolica auctoritate diffinitum aduertitis , & ecce mandatum habetis : quatenus de bono vestræ obedientiæ nobis Deo grātias referentibus , & vobis , reuerentia com-

Concil. Tom. 24.

C